



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Misericordiae Palativm**

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi  
peristromatibus exornatum

**Gazaeus, Nicolaus**

**Augustae Trevirorum, 1618**

Quod Eleemosyna sit efficacior satisfactio peccatorum, quam ieiunium, &  
Oratio c. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)

42 SACRVM MISERICOR.

Luc. 16.

to, famelicus pro buccella panis, Inops pro denario, tibi regnum inestimabile præbet. Hoc equidem regnū diues epulo sibi à Lazaro comparare poterat, nec tamen fecit, *nam nemo illi dabat.* ideoque in infernum comburendus descendit. His claret quomodo misericordia vera est Paradisi semita.



QVOD ELEEMOSYNA  
SIT EFFICACIOR SATISFA-  
ctio peccatorum quam Ieiunium  
& Oratio.

CAPVT. VII.

Tob. 12.

QVonia autem satisfactionis varia reperiuntur genera, validis argumētis, atq; sacrae scripturae testimonijs, pbare statui efficaciorē esse Eleemosynam, nec nō Ieiunio & Orationi præstare. Quod vt apertius, elucidare valeā notandum est satisfactionē, Pœnitentiæ postremam partem, tribus operibus compleri posse; videlicet Ieiunio. Oratione & Eleemosyna. Quas quidē Pœnitentiæ partes Raphael necessarias insinuabat dū dicebat: *Bona est Oratio cum Eleemosyna & Ieiunio,* nam per orationem

nem homo Deo coniungitur, per ieiuniū  
 in semetipso componitur; per Eleemofy-  
 nam bene erga proximū afficitur. His igitur  
 tribus operibus satisfacit Deo, quisquis  
 Deum peccando in se concitavit. Attamen  
 Eleemofynam siue misericordiam, præstā-  
 tissimum satisfactionis opus, Deoq; maxi-  
 mē placens arbitror, quin immo vnico Sa-  
 cro sancti corporis & sanguinis Christi sa-  
 crificio excepto, cætera sacrificia superat,  
 & excellit. *Misericordiam volo, non sacrifici-  
 um.* Misericordia altissimo placet, non  
 oues non boues & vniuersa pecora campi;  
 nunquid Sapiens testatur? *Facere Mise-  
 ricordiam, magis placet Domino quam vi-  
 ctima.* Rectè sanè melius namque est, at-  
 que humanitati accomodatius, inopi fa-  
 melico subuenire, quam Deo vniuersa a-  
 nimalia sacrificare, nec enim homo prop-  
 ter animalia, sed animalia ad vsum hominis  
 facta sunt. Vnde potius posthabenda, sunt  
 vniuersa volatilia cæli, quam vt homo ta-  
 befactus pereat fame, vel siti. Nec quis-  
 quam miretur, tantam Misericordiæ in-  
 esse efficaciam, ea siquidem Angeli testi-  
 moniò est, quæ Orationi & ieiunio tri-  
 buit virtutem? Nec enim Oratio aut ieiu-  
 nium quicquam prodelle poterit, nisi  
 Elec-

Math. 23

Proverb. 21

44 SACRVM MISERICOR.

Tob. 12.

Serm. 3. de  
ieiunio pente.


Eccles. 3.

Eleemosyna illis cohabitauerit. *Bona est Oratio & ieiunium cum Eleemosyna.* Quod lucidiori comprobatur testimonio Leo Papa sic scribens; *Tunc demum ad anima curatio- nem proficit medicina ieiunij, cum abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis.* Quamuis ergo ieiunium, carnis & voluptatum le- nocinia deprimat, fomitem extinguat, pe- tulantias corporis exterminet, nihilomi- nus validum non est, nisi Oleo Misericor- diae condat. Sanat quidem ieiuniū vul- nera corporum, at sine Misericordiae bal- samo, non aufert cicatrices vulnerum. Ec- clesiastem docentem audiamus: *Extende manum tuam ad pauperem, ut propitiatio tua perfecta sit.* Extende manum quoniam in Pœnitentiæ Sacramēto, Misericordia præ- stantissimum pharmacum est. Nam quemad- modum in medicamentis variarum herba- rum concoctio reperitur, vna tamen herba cœteris dominatur; ita in Pœnitentiæ Sa- cramento, quod aduersus peccati morbum præsentissimum remedium est, multa her- barum genera, multæ satisfactionis partes reperiuntur, quibus tamen Eleemosyna præualet & dominatur. Quod vt magis pa- teat aduertendum est in satisfactione tria reperiri. Primum est Euitatio culpæ, cui maxi-

maximè deseruit oratio, Augmētatio gratiæ, cui præcipuè prodest Eleemosyna, Solutio pænæ, quæ in satisfactione minima est. Igitur Eleemosynam quæ gratiæ comparatur augmentum, nobiliorem oratione & ieiunio esse certò perhibetur. Ideoque summè curare debet Sacerdos vt magis in satisfactionem peccatorum Eleemosynæ largitionem iniungat quam Orationes vel ieiunium præcipiat; Hæc siquidem & Orationem & ieiunium in se complectitur. Orationem equidem dum eum cui benefacit, sibi obstringit; Ieiunium autem, dum corpori necessaria subtrahendo, alteri indigenti largitur. Licet verò grauius difficiliusque sit, carnem ieiunijs macerare, quam diuitiarum particulas distribuere, non tamen quæ difficiliora sunt, pœnitētibus sunt imperanda, sed quæ meliora.

Vnde Isaias repræhensa Iudæorum obstinatione, quam neque ieiunijs, neque Oratione diluere valebat, voce publica sic effari cœpit: *Frangere esurienti panem tuum, & nudos vagosque induc in domum tuam, si videris nudum operi eum & carnem tuam ne despexeris, tunc lucebit lux tua sicut meridies, & Iustitia tua ante te ambulabit, & claritas Dei circumdabit te. Et hinc facillè perspicere est,*

est, Orationem & ieiunium sine Eleemofyna, vix quicquam prodesse: Eleemofynam autem satisfactoriam esse.



## MISERICORDIA CœLI VIA EST.

### CAPVT. VIII.

**N**Ec solum peccatorum maculas tollit nostra Misericordia, sed amœnissimo locorū, Paradisi dico viā nobis ostendit. Quam dū Regius psaltes ignoraret, sic à domino petebat: *Nota fac mihi viā in qua ambulem*, quasi diceret. Licet ad custodiam mei, Angelū mihi deputaueris qui gressus meos dirigeret, nihilominus viam ignorauit, *Erraui sicut ouis quæ perijt, ideo quære seruum tuum*. Quem (vt ipse testatur) de via sic Spiritus Sanctus instruxit: *Instruam te in via, qua gradieris*. Si igitur Sanctus Propheta hanc ita sedulò viam inquisiuit; nunquid nos desides in ea perquirenda reperiemur? Nequaquam sed eam dum ostendo, quæ dico perpendite. Duæ sunt semitæ ducentes ad vitam, alia, pauperum, diuitū alia. Pauperum via; pati-

*Psal. 142.*

*Psal. 118.*

*Psal. 31.*